



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Didaci Covarrvvas A Leyva Toletani Episcopi Segobiensis
... Opera Omnia**

**Covarrubias y Leyva, Diego de
Antverpiae, 1610**

De captis in bello, & seruitute personarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-96556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-96556)

audierunt? quomodo autem audient sine predicante? cum infideles eam legem sibi predicatam accipere recusant, grane scelus & peccatum in humani generis redemptorem committunt, quod paulo ante explicuimus: sed hac ratione bellum aduersus ipsos infideles iustum non est. At si dixeris hoc bellum esse punitiuum, profecto id geri à Caesare non potest in Infideles, qui Caesaris imperio subditi non sunt, quo ad temporalem iurisdictionem: cum sit iurisdictione necessaria ad punitiorem secundum ea, quae modo tradita sunt. Nec re auctoritate Romani Pontificis, qui in infideles iurisdictione non habet temporale, nec spirituale, nisi quatenus ea necessaria est ad Christianam reipublicam quietem, & utilitatem. Scribit etenim Paulus 1. ad Corinthios c. 5. si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut maledicus, aut ebriofusus, aut rapax: cum huiusmodi nec cibum sumite: quasi dicat Apostolus, secus autem si non sit frater, illum enim non debetis punire, & subdit ratione. Quid enim mihi de his, qui foris sunt iudicare? nonne de his, qui intus sunt vos iudicatis? Hac Paulus, ad cuius interpretationem scribit Hieronymus, Nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit, & Thomas inquit, quod praetati acceperunt potestatem super eos tantum, qui fidei se Christianae subdiderunt. Sic sane post huius operis secundam editionem legi Dominum in 4. sent. dist. 5. q. vnic. art. 10. hanc ultimam opinionem probantem.

Quid autem de Idololatria, an ea sola sit causa iusta iudicandi bellum infidelibus? & probatur eam esse iustam belli causam auctoritate diuina, c. 2. Deuteronomij, ubi constat, ob hanc causam Deum praecipisse filiis Israel, ut gentes plurimas subuerterent, & dissiparent. quod ita praecipitum est secundum Nicolaum à Lyra, ne ex templis idolorum remanentibus & illis ritibus occasio idololatriae Indaeis daretur: tanquam Dei iniuria in populo suo vitaretur. atque ita hanc esse iustam belli causam doctissimus vir Alfonso à Castro censet in lib. 2. de iust. haeret. punit. c. 14. idem adnotari & colligi potest ex Aluaro Pelagio de planctu. eccles. lib. 1. art. 37. col. 5. quibus suffragatur Thomas 2. 2. quest. decimas, artic. vndecimo, dicens ritus infidelium esse tollendos, & inibi dum hoc scribit, non de ritibus Iudeorum, sed de ritibus aliorum infidelium intelligit. Hec vero si quis pensiter diligenter, reperiet locum illum Deuteronomij esse intelligendum propter speciale, & expressam Dei iussionem. Potuit omnipotens Deus gentes illas punire, & ab eis prouincias, & bona propter eorum peccata auferre: quam diuinam punitiorem imitari non debent principes humani, qui ius puniendi non habent in alios, quam sibi subditos. Praesertim quod Deus illam prouinciam filiis Israel promiserat, & ne idolorum templa eis nocerent, iussit ea destrui & radicibus dissipari. deinde idololatria, quae gentes illas utebantur, non erat simplex, sed mixta cum occasione innocenti: nam & filios idolis sacrificabant: unde ad subueniendum illis innocentibus, qui iniquissime occidebantur, quorumque sanguis clamabat à proximis auxilium petens, iuste potuit illis gentibus bellum iudicari: potuisset quidem etiam auctoritate humana & publica. Quod autem Diuus Thomas scribit in d. art. 11. intelligendum est de ritibus Infidelium habitantium inter Christianos in prouinciis ipsorum Christianorum, vel cum infidelium ritus, & idolorum templa, ac sacrificia praestant impedimentum religioni Christianae, & eius praedicationi. factor plane aduersus gentes idololatrias iuste quidem bellum geri, si monita nolint abstinere ab idolorum cultu, quoties impedimentum affert religioni Christianae & legis Euangelicae praedicationi. At quod ob ipsum peccatum idololatriae vel ad tollenda idola, quae non sunt impedimento legis Euangelicae praedicationi: quia fidei catholice praedicatione, eiusque diligenter à viris catholicis sanctitate, & moribus, ac doctrina praeditis, instructione praemissa, idolorum cultus tolli poterunt: bellum licite contra idolorum cultores, gentesque idololatrias geratur, dubium certe videri potest. Nam iustitia huius belli vel est propterea quod ipsum crimine idololatriae priuet gentes ipsas domini rerum & prouinciarum: & haec ratio falsa est: vel ideo quia liceat offensam, & iniuriam Diuinae Maiestatis illatam hoc idolorum cultu bello vindicare: & id non sufficit aduersus eos, qui foris sunt, hoc etenim Deus punit secundum Hieronymum de 2. ad Corinthios. Ad defensionem autem hoc bellum non pertinet: cum tantum trademus an ob ipsum idolorum cultum liceat indicare bellum his qui fidelibus nullam iniuriam fecerunt: & ideo non agitur in hoc bello de defensione. Quod si dixeris esse

bellum punitiuum: profecto id non pertinet ad eos, qui nulli in has gentes punitiōnis ratione iurisdictionem habent: quae quidem punitio iurisdictione exigit, etiam in idololatrias, quia hoc crimen minime Christianis submittit eum, qui foris sit, quod constat ex ipso diuini Pauli testimonio manifeste probante non esse à nobis iudicandum eum, qui foris sit, tamen si is idolis seruiat. Huc denique adduximus aduersus priorem sententiam, quae fortassis, ab his obiectionibus doctissimorum virorum ingenio, & iudicio facillime defensa potiores partes obtinebit. Posteriorem tamen opinionem, quam nos defendimus, sequitur, & probat Dominus. Sotus in 4. dist. 5. q. vnic. art. 10.

Solet hoc in tractatu examinari, an bellum esse possit ex utraque parte hostium iustum. Nec tamen iustum hic accipio in ea significatione, secundum quam sepius à Tito Luito & aliis authoribus dicitur iustum praelium, iusta acies, iustus miles, iustum exilium, id quod omni ex parte plenum est, omnibusque numeris perfectum. Sic Iurisconsultus appellat iustam hereditatem in l. 3. ff. pro socio. eam quae legitimo, ac plenissimo iure obueniatur: quod eleganter Budaeus ibi explicat. Sic & Hispani iustam vestem dicimus, quae ita corpori apta sit, ut nihil ei desit ad ipsius corporis mensuram. sed hic dictionem istam adsumimus pro eo, quod rationi, iuri, & aequitati, ac iustitiae conuenit. & Alciat. lib. 2. Paradox. c. vltim. post Fulg. in l. ex hoc iure. ff. de iustitia & iure, censet, bella utrinque posse licita esse idque multis probat contra Dd. frequentissimam sententiam. Ego sane quantum ad rei veritatem & certitudinem ipsam falsam esse censo, quod Alciat. adnotauit, communemque sententiam probo. Nam cum hostes contrarii sibi sint, contraria iura necesse est habeant: quorum vnum iustum sit, alterum vero iniustum. Nec enim ex duobus principibus bello pugnantibus ob aliquam prouinciā quam quilibet eorum sibi propriam esse censet, in veritate potest uterque iustitiam habere sibi fauorem: siquidem is iustam habet causam, cuius ea prouincia propria sit: ex quo necesse est quod alter iniustam causam foueat: cum contraria haec duo sint, iustum & iniustum. unde plane illud mihi constat, non posse quo ad veritatem iustum bellum utrinque esse, opinione vero potest bellum ex utraque hostium parte iustum esse. Nam etiam si apud alterum tantum vere existat iustitia belli, bona tamen fide alter bellum id gerere potest existimans iustissima ignorantia se iustam fouere causam. Atque in huc sensum probari potest quod Fulgo. & Alciat. voluerit unde Abulensis Josue cap. 11. adnotauit bellum illud, quod Iudaei gerebant aduersus Amorrhæos, & ceteras gentes ex parte Iudeorum iustum esse propter Dei voluntatem, quae eis erat manifesta: & itidem ex parte Amorrhæorum, qui iusta ignorantia ignorantes hanc diuinam iussionem se defendebant ab aggressionem Iudeorum: eaque ratione existimabant se bellum iustum gerere. Hec de iustitia belli compendio quodam praenotauius, quo facilius intelligi valeat qua ratione capta in bello, vel efficiantur capientium, vel sint omnino in animae iudicio restituenda: quod seq. §. non admodum prolixè tractabitur. solum etenim constituemus aliquot principia, ex quibus haec res longius tradi possit.

§. V N D E C I M V S.

De seruitute captiuorum in bello.

S U M M A R I A.

- 1 Capta in bello iusto efficiuntur capientis, & per totum §. maximo num. 6.
- 2 Seruitus an sit induita à iure gentium contra ipsam naturam, late numerat sequentib.
- 3 Ius naturale an possit tolli in parte, vel ex causa. & ibidem reprehenditur diuisio iuris naturalis in primarium & secundarium.
- 4 Ius gentium qua ratione à naturali iure distinguatur.
- 5 Seruitus aliqua an fuerit ab ipsa natura instituta.
- 6 Capti in bello apud Christianos non efficiuntur serui, & quid Christiani capti à Sarracenis, vel Turcis.
- 7 Res ab hostibus capta, qua prius per hostes fuerant bello quaesita, an sint prior domino restituenda.
- 8 Regia l. pen. tit. 9. part. 5. examinatur.

Ad id vero quod attinet ad restitutionis obligationem eorum, quae in bello capta fuerint, sit constitutissimam conclusio. capta in bello iusto efficiuntur capientis. capta autem gentium à distincti hostes. Et si quid in bello ff. de capti. l. naturale. §. vltim. ff. de acquir. rerum domi. §. in cap. sicut. de iniur. notantur in. 1. in princip. ff. de acquir. possess. vbi Iaf. num. 8. late hanc materiam tractat. eandem conclusionem probat Aristoteles lib. 1. Politic. c.

4. Thom. I. 3. de regimine Princip. cap. 11. Theologi passim præsertim Hadrian. in 4. sentent. tract. de restit. §. aggredior casus speciales. Flor. 3. part. tit. 4. cap. 1. Ioa. Maior. in 4. dist. 15. q. 26. Alfonso de Castro. lib. 2. de iust. hered. p. 1. c. 14. Syluest. in verb. bellum. q. 1. Bart. in dist. 1. si quid in bello. & in l. hostes. Mart. Laudensis in tract. de bello. 2. col. And. Tiraq. de legibus. communitatibus. l. 1. nu. 46.

Hinc & illud obtinuit quod capti in bello serui efficiuntur capientium, si bellum iustum sit. id. l. naturalem, in fine, d. l. hostes §. item ea. insti. de rerum iustis. pulchre Aristot. in d. e. 4. omninoque, inquit nonnulli iure quodam, ut putat, freti, & adducti, lex enim quoddam ius est, seruituram eam quæ iure belli introducta est, & iustam esse aiunt, & negant, quoniam fieri potest ut initium bellorum sit iniustum, & cum, qui sit indignus seruitute, nusquam quisquam seruum esse fateatur. Hæc tamen Arist. atque de his plura Claudius Coteræus l. 2. de iure milit. c. 24. q. 10. fit, ut seruitus ista inducitur si iure conuenit, cum natura omnes sint liberi l. manumissiones ff. de iust. & iur. §. seruitus. insti. de iure pers. quo probatur seruitutem inducendam fuisse contra naturam, secundum quam omnes liberi nascuntur. idem probat tex. in l. 4. ff. de stat. homi. Stophilus seruus apud Plautum in Aulularia, inquit, omnes natura parit liberos, & omnes libertati natura studet: qua de re & Macrobius scribit, li. 1. Saturnaliorum. c. 11. & Diuus Basilus de Spiritu sancto c. 20. affererat apud homines nullum esse naturam seruum.

Quod si contra naturam iure gentium, est seruitus personarum inducitur, profecto id iure obtinere nequit; cum iura naturalia immutabilia sint, nec iure gentium tolli possint. §. sed naturalia quidem. insti. de iure nat. gen. & civili. tex. in pr. dist. cui obiectio. Accursius respondet in dict. l. manumissiones, dicens ius naturale non posse in totum tolli iure gentium, & humano; sed quo ad aliquam eius partem tolli posse, ego libenter quero ab Accursio, an hæc pars, quæ tollitur, sit naturale ius: & si dixerit, non esse ius naturale, dubio procul quæstio non est an tolli possit; siquidem quod non est, tolli non potest. Si verò hæc pars quæ tollitur iuris est naturalis, sicut est libertas personarum, quæ modo iure gentium tollitur, non dū responsum est obiectio, ex qua probatur, & ita verissimū est, ius naturale tolli iure humano non posse. Præsertim quod si semel in specie fatearis aliquid esse à natura institutum, id nullo modo negare poteris, humano iure tolli nequaquam posse; cū superior sit ipsa lex naturalis hominum instituta nec eis tolli possit. Quamobrè mihi sæpè displicere duo quæ passim circa ius naturale, & diuinum à nostris traduntur. Primum, dum sæpissime respondent, ius naturale posse partim tolli, licet non totum. Nam vere si in ea parte ius naturale viget nullo modo defendi potest, quod eius iuris naturalis pars tolli humano iure valeat. Etenim dicitur naturale ius, non esse innocentem occidendum; poteritne aliqua ex parte iure humano innocens occidi, vel in aliquo casu specialiter? certe qui hoc affereret, demens profus esset, & rationis naturalis satis inscius. Alterū est, quo frequenter Dd. vtuntur dicentes, ex causa posse iure humano limitari, & tolli ius naturale, vel diuinum; hoc denique absurdum est, siquidem vel ea causa sufficiens est, ut opinemur, & constituamus ius diuinum, vel naturale tunc minime obtinere, nec eum comprehendisse: & tunc ius naturale, vel diuinum non tollitur ex ea causa; quia non premititur, nec datur, lex naturalis, nec diuina, ut ea tolli possit; sed tantum interpretatio sit legis diuine vel naturalis. at si ea causa nihilominus admittitur, adhuc viget lex naturalis, vel diuina; & plane nisi quis toto, quod a iure, celo aberret, non poterit incitari, eam causam minime sufficere, ut humana authoritate naturalis tollatur; & ideo Accursii responsio congrua non est. Bar. aliter respondere conatur in d. l. manumissiones, ac potius in l. ex hoc iure. ff. eo tit. scribens eo duplex esse naturale; primum & secundum: & addit primum tolli per secundum, quod ius gentium appellatur; atque ita ius gentium quandoque est contra rationem, & ius naturale. vnde licet libertas iuris sit naturalis, potuit tamen ius gentium eam tollere eandem Bart. rationem tenuerunt etiam Ang. Paul. & Dd. in l. si quod. ff. de cond. indeb. Verum hæc ratio defendi non potest, nec iure valida est. id etenim quod contra rationem naturalem statutum est, non potest firmum esse, nec validum; etiam si à principe supremo statuatur, deinde hæc distinctio iuris naturalis primæ, & secundæ falsa omnino est; ius siquidem naturale vnum est, & id temporis successu nec distinguitur, nec variatur d. §. sed naturalia quidem iura. Nā quod semel Deus omnia animalia docuit, quodque ideo naturali lumine cog-

gnitum est, nec villo tempore tollitur, nec distinguitur, nec variatur: ricius etenim variatio refragatur nature ipsius inuisi improprietate in d. l. manumissiones.

Qua ratione duplicem sensum asserit ad id, quod prius constitutum, nempe omnes homines esse natura liberos & seruitutem esse contra naturam: ex quibus manifeste constat huiusmodi dissolutionem. Primum equidem libertas in hunc sensum est iuris naturalis, & natura homines liberos nasci debet, ut eo primo statu quo sola lege natura humanam genus vtebatur, nondum humana crescente malitia, occurreret omnino homines omnes liberos nasci, idque illi statum impediret fuerit. Non tamen ex hoc negatur, posse iure humanam, & gentium, hominum crescente malitia statum seruitutem, ut capti in bello serui efficiantur. Imo id conuenit reipublice ad punitionem eorum, qui finitimas gentes bellis iniustus persequuntur: vnde quo iure ex consensu humani generis bella introducta fuerint, eodem & captiuitates, ac seruitutes constituta sunt: quod Diuus August. explicat l. 19. de Civitate Dei. c. 15. conditio, inquit, seruitutis iure intelligitur imposta peccatori, non est itaque culpa meritis, non natura: & deinde subdit: nullus autem natura in qua prius Deus hominē condidit, seruus est hominis, aut peccati, verū per naturam seruitus ea lege ordinatur, qua naturalem ordinem conferuari iubet, perturbationemque vitat: quia si contra eam legem non effectus, nihil esset penali seruituti coercendum: iocose Apollonius seruos monet subditos esse dominis suis, & ex animo eis eum bona voluntate seruire. Hæc August. citans Apolloniam pronunciat à Noë patre, ut seruiat fratribus suis. Genes. 9. Sic & naturali iure non erant domini distincta in ipso quoddem statu natura, & legis naturalis secundum quam omnia erant communia: sed postea conueniens fuit fieri dominorum distinctionem lege humana: idque ratione naturali factum fuisse ex eo apparet, quod vile valde Reipublica sit: quod Conradus doctissime tradit de contractibus. q. 10. & sequitur legitime iuxta hunc sensum obiectio tollitur: sicuti probant Fort. in d. l. manumissiones. & Ioan. Driedo. de liberi. Christiana. pag. 29.

Secundo loco alter sensus aptari potest his authoritatibus, quibus constat hominum libertatem esse lege naturali inducendam, ut tandem distingendum sit, inter ius naturale positum, quod aliquid positive præcipiat, vel prohibeat: & ius naturale negatiuum quod nihil aliqua de re statuerit, nec præcipiendo, nec prohibendo: sed id potius committitur legis humane dispositioni. Nam libertas non est iuris naturalis iuxta primum modum: cum eam nec præcepit, nec seruitutem induci prohibuit. Est vero personarum libertas iuris naturalis secundo modo accepti: quia ius naturale seruitutem non induxit: nec etiam libertatem prohibuit: imo liberos omnes homines creauit. quod autem obiectum ius naturale esse immutabile, est intelligendum de iure naturali positivo, non de iure naturali negatiuo, secundum Thomam, qui ita rem istam explicat in hac specie. l. 2. que 94. art. 5. & præpo. in eius gentium. 1. dist. n. 9. Martinus Azpilcueta, quem post huius operis primam editionem legi, in cita. quædam. de iud. gl. penult. ex his duabus solutionibus, quarum posterior fere deducitur, plura colliguntur.

Primum vera interpretatio Iurisconsulti, Iustiniani, & aliorum qui vere dixerunt, omnes homines natura liberos nasci, ita etenim intelligendi sunt omnes homines eo tempore, quo sola lege natura vtebatur, mundusque regebatur, liberos nasci, ac natos fuisse. At hinc non sequitur, hodie omnes liberos natura nasci: cum aliis legibus, præter naturales vtamur: idque maxime sit vtile Reipublice, ad reprimendam hominum malitiam. Nam vt auctor est Augustinus in d. c. 15. seruitus lege humana iustissime est statuta in peccatum peccati, quod bello committitur iniusto.

Secundo hinc deducitur alter eiusdem authoritatis intellectus, ut omnes homines natura liberos esse intelligamus, ex prima natura intentione, quæ voluit homines liberos creare. At per accidens non prohibuit eos seruos fieri ex aliqua ratione conuenienti Reipublice. Sicuti ex prima intentione natura est, quod hominum vita conferretur: & tamen legibus humanis naturali ratione statutur ex accidenti, quod nocentes, & criminosi occidantur.

Tertio inde apparet, verū esse quod scripsit Diuus Thomas in 4. sen. dist. 26. art. 1. & Card. à Turre Crem. in d. c. ius gentium. 4. art. qui existimant seruitutem institutam esse contra primam naturam.

ra intentione: quia natura prima intentione tendit ad perfectiora: seruitute esse secundum naturam iuxta eius secundam intentionem. natura etenim prima intentione intendit, ut quis sit bonus: eius vero secunda intentio est, quod si quis non fuerit bonus, sed malus, ipsiusque iuris naturalis ratione prauis moribus contempserit, puniatur quidem. Sic seruitus secundum naturam instituta est ad puniendum peccantem. & licet iure natura non sit in specie hac poena definita, sed in genere: ius gentium, & humanum potuit ex secunda naturae intentione definire poenam istam seruitutis hac specie.

Quarto ad praenotatis patet verus sensus §. seruitutis. in §. de iure personar. quo probatur, seruitutem esse contra naturam, id est, contra naturalem libertatem, quae vna fuit ab initio omnium ante corruptionem generis humani, & nunc quoque esset, nisi malitia hominum aliam conditionem exigeret omnium populorum consensu, qui seruitutem ex causa induxit ad puniendos hostes iniquos quemadmodum & prater diu Augustinum tradit Aristoteles 1. Politicorum c. 3. & 4. & probatur in l. naturalem cum l. §. ff. de acq. rer. dom.

Quinto inferitur, seruitute esse contra ius naturale, non ex eo quod tollat ius naturale affirmatiuum, & positiuum, aliquid praecipiens, aut prohibens: sed ex eo quod addit iuri naturali, id quod ipsi ius non concesserat: atque ita per additionem inducitur seruitus contra ius naturale.

Sexto hinc apparet, hanc personarum seruitute iure gentium inducendam, non esse contra naturalem rationem: imo ex ea procedere: sicut probatur in d. l. manumissiones. & apertius in §. ius quo ab hostibus inuictis §. singulariorum. In §. de rerum diu. adque adnotatur Fort. in d. l. manumissiones col. 3. & constat ex pluribus locis Sacrae scripturae, quibus ostenditur, dominium seruorum iustum esse praesertim c. 7. ad Ephesios, inquit Paulus, serui obedite dominis carnalibus cum timore, & tremore in simplicitate cordis vestri sicut Christo. Et 1. ad Timoth. c. 6. Quicumque sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitretur. Item 1. Petri. c. 2. Serui subditi estote in domino timore dominis non tantum bonis & modestis: sed etiam dycolis. unde dominus in seruis naturali ratione dominium habet, sicut & in agris, & fundos, qui ad eum pertinent. vii tamē debent domini hoc iure, quod in seruis habent, benigne, non seuerē, & crudeliter, quod & monet Diuus Augustinus l. 19. de ciuit. Dei. c. 16. & iure ciuili statutū est in l. vnic. C. de emen. seruo. & in l. de iure perso. & de his, qui sunt sui vel alieni iur. §. in potestate. §. sed & maior. vbi Theophilus l. 6. tit. 2. par. 4. & Caius Iuriconsultus lib. 1. in §. tit. 3.

Septimo colligitur ex his, seruum à domino fugientem mortaliter peccare, & teneri ad eum redire secundum gl. in d. capti ius gentium. 1. d. si quam d. inibi approbant Communiter, maxime Card. à Turrecremata art. 4. Fort. in d. l. manumissiones col. 4. optimus tex. in c. si quis seruum. 1. 7. q. 4. Caterum hoc in loco ad monendum lector est, me quidem in hac de seruitute controuersia, ius gentium intellexisse, prout id à iure naturali distinguitur, & humanū ac positiuum est. nam & Thoma 1. 2. q. 25. art. 1. ad primum, ius gentium de quo Iuriconsulti quandoque tradidē, inter iura humana & positua censet quod apertissime constat. Nam si quis pendat exempla & casus, qui per Iuriconsultos sub tit. ff. de iust. & iur. iuri gentium tribuuntur, plane fatebitur ea non esse iuris naturalis, sed humani. nec procedere necessario à primis iuris naturalis principijs in vniuersum, nec frequentius: tamen à ratione propter Reip. vtilitate vario temporū successu deducantur & instituantur, vel instituta sint fere omnium hominum consensu. bella etenim non sunt iuris naturalis, nec manumissiones, nec seruitutes, nec dominiorū distinctio, nec venditiones, aut locationes, quae omnia Iuriconsulti iuri gentium tribuēda esse palā responderunt. Et tamē in l. 1. §. ius naturale. ff. de iust. & iur. ius gentium naturale quidē dicitur: dum id non alia ratione à naturali distinguitur quam quod illud omnibus animantibus etiā brutis cōueniat, hoc solis hominibus cōmune. unde deducitur hoc ius gentium hominibus & sic animantibus ratione praeditis naturale esse. Idē apparet euidētius auctoritate Cai Iuriconsulti in l. omnes populi. ff. de iust. & iur. Quod vero, inquit, naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes homines perque custoditur, vocaturque ius gentium: quasi quo iure omnes gētes vtuntur. eadem verba repetit Iustinian. in §. ius ante ciuile. in §. de iure nat. gentium & ciuile. unde diuus Thoma 2. 2. q. 57. artic. 3. ad 3. inquit: Ea quae sunt iurigenium naturalis ratio dicitur: puta ex proprio habentia & quae tamen: inde est quod non indigent ali-

qua speciali institutione, sed ipsa naturalis ratio eā instituit. Quasi velit Thomas hoc quod Iuriconsulti ius gentium appellauerunt, ius esse naturale. cui certe non conueniunt exempla iuris gentium tradita ab Iudoro li. Ethic. 5. c. 5. & 6. praesertim prohibitio nuptiarum inter alienigenas.

Quibus praenotatis ego cetero ius naturale vere esse illud, quod Deus omnia animalia docuit tam bruta, quam ea, quae ratione donauit. Hoc etenim ius lumine naturali hominibus ita cognitum est, ut & brutis instinctu quidē ipsius naturae: qua ratione quod lumine naturali animalibus ratione praeditis notū est, id vere ius naturale dicitur: sicuti & illud quo brutis Deus per instinctum, & inclinationem propriam constituit: hoc probatur in l. 1. §. ius naturale. ff. de iust. & iur. c. ius naturale. l. 1. dist. quo fit, ut principia lumine naturali ab hominibus cognita, & conclusiones, quae ab eisdē principijs necessario deducuntur, & quae animantibus ratione praeditis conueniunt tantū, ius quidē gentium dici quodammodo valeant: ad differentiam iuris naturalis: quod simul & brutis & hominibus datū, infusumque est ab ipsa natura. Vtrumque tamē vere est ius naturale: sicut; intelligendū est responsum Iuriconsulti in d. l. 1. §. ius naturale. ad si. vbi ius gentium à naturali distinguitur ex eo solum, quod illud hominibus tantū, hoc vero etiā brutis cōueniat. Huc pertinet quod Thoma in d. art. 3. q. 57. distinguit ius gentium, quod quidē ratione naturali hominibus tantū competit, & id quidē naturale esse asseuerat, non secundum absolutam sui considerationem, sed secundum quid, id est, ut est conueniens & vtile humano cōuictui, à iure naturali, quod omnibus animantibus commune est, & naturale dicitur absolutam iuxta sui ipsius considerationem: vt maris, & feminae coniunctio: filiorum educatio, & his similia. Quo in loco diuus Thomas de iure naturali, & gentium hanc doctrinam optime tradidit. Quamuis & haec Thomae sententia, eiusque distinctio alium sensum habere possit, ut ipse quidē distinguit ius naturale, quatenus omnibus animantibus etiā brutis commune est, & complectitur etiā prima iuris naturalis principia, continentia iustum naturale ex sui natura adaequatū, & commensuratū alteri à iure gentium, quod continet iustum naturale, non iuxta absolutam sui rationem, sed secundum vtilitatem, quae ex eo deducitur, ut alteri cōueniens. Sensitque Thomas ad hoc ius gentium pertinere, seruitutes, bella dominiorum distinctioem. hanc eandem differentiam constituit Card. à Turrecremata in d. c. ius gentium. 1. d. si. art. 1. Sed huic sensui refragatur quod prima principia iuris naturalis procedāt à ratione, quae incognita est brutis. Nihilominus idem Card. in c. humanum genus. 1. dist. art. 5. post Albertū Magnum, quinto Ethic. responderi ius naturale quo ad rationem iuris, brutis minime conuenire, sed procedere à natura speciali, quae est ipsa ratio: sed ius naturale quantum ad actus etiā brutis cōpetere: & sic ut ipsius verbis vtat, ius naturale formaliter sumptum, id est, quo ad rationem hominibus tantū conuenit: materialiter vero, id est, quo ad actus etiā brutis cōmune est: scilicet, quo ad maris & feminae coniunctionem, filiorū educationem & similia atque ita interpretatur d. l. 1. ius naturale, ut tandē Deus ius naturale materialiter omnia animalia etiā bruta docuerit: formaliter tamē ipsos homines tantū: quibus rationis cognitio tradita est. Hic vero sensus eū eo cōuenit, quē paulo ante Iuriconsulti responsum tradidimus. Sed solum discrimē apud nos est quānā ratio sit intelligēda Thomae responso in d. art. 3. & profecto aptior est vltimus hic sensus: si cōsideremus ipsum ius naturale quatenus absolute adsumitur: posse quidē adsumi formaliter, sicut & materialiter, ita quidē, ut formale ius naturale quo ad rationem, & ut cōtinet primā principia, absolute iustum contineat secundū sui considerationem, rationēque, non iuxta alterius vtilitatem, nec ut alteri cōueniens sit. sic denique procedere illud, ratione viuendum est, nemini est malū faciendū, & similia, quae quidem iuris naturalis sunt, secundū propriam sui rationem: quia continēt iustum, & alteri commensuratū secundū absolutā sui rationem: non iuxta vtilitatem, quae ex his continget. Unde ius naturale auctore Thomae, à iure gentium distinguitur, quod procedit à naturali ratione non absoluta, sed quae alterius vtilitatem vel quod conueniens sit respiciat. ex quibus manifestū sit, quamobrē ius gentium à Iuriconsultis ius naturale quandoque dicatur: & quandoque à iure ipso naturali distinguitur. Deinde patet ex his, primā principia, & quae ex eis necessario deducuntur: non esse proprie iuris gentium, sed naturalis: prout à Diuo Thoma haec iura d. art. 3. distinguitur, in-

de consequitur, religionem erga Deum, & parentum honorē esse iuris naturalis: non iurisdictionis: secundū Thomę distinctionem: quamvis à iuris consulti hac exempla tradantur, & aptentur iuri gentium in d. l. ad finem, & in l. seq. quæ quidem Iuriconsulti responsio poterit defendi, si ius gentium interpretemur naturale ipsi tantum hominibus conveniens, de quo superius actū est: Vere tamē negare nō possumus utcumque exempla Iuriconsultorum, & Iudiciorū, nō omnia cōvenire iuri gentium, quod maxime observādū est.

Quamvis equidem iuxta præmissam adnotationem ius gentium ad humana iura pertineat, non proprie ad naturalia: attamē ob id quod ex diuo Tho. explicuimus, & quia ius gentium derivatur à iure naturali, communiq; omnium gentium consensu constitutum est, conclusionib; quibusdam non multū remotis à primis iuris naturalis principiis, naturale dici quodammodo homini potest: etiā si à naturali iure præsertim ab ea lege, quæ communis est omnibus animantibus, differat & distinguatur secundum Thomam i. 2. q. 95. art. 4. ad primum. His libenter addiderim quod post primā huius operis editionem legi apud Domi. Sot. lib. 1. de iust. & iure. q. 1. art. 3. nēpe hoc discrimen esse inter ius naturale & ius gentium, quod ea quæ inferuntur ex absoluta rerum natura & consequentia necessaria, pertinet ad ius naturale: illa vero, quæ non ex absoluta consideratione, sed modo exposito in ordine ad certū finem & sub certis circumstantiis, sint de iure gentium quæ sententiā & nos paulo ante probauimus.

Octavo principaliter ex præmissis inferitur, an sit aliqua servitus, quæ vere iuris naturalis, & à natura ipsa instituta? Et sane cōstat esse naturā ipsā quosdā servos. Nam secundū Aristotelē 1. Polit. c. 3. & 4. minus sapientes, minus perfecti: natura ipsa serviti sunt & sapientioribus subditi, vt ab eis regantur. Etenim hominū genus Deus sic cōdidit, vt essent in scientiis, & virtutibus superiores aliis. Plato itē in dialog. 3. de leg. cuius & lo. T. tobeus sermone 42. mentionē fecit, scribit primā dignitatis rectā rationē esse, vt genitores vbiq; natis imperent: Secundā, vt ignobilib; generosi: Tertiā, vt iunioribus seniores: Quartā, vt dominis seruis: Quintā, vt potentiorib; imbecilliores seruiant: Sextā quidē & omnium maximā esse, quia secundū naturā ignorantēs sequi iubentur: prudentes autem ducere, ac dominari. Hęc Plato, cui & Arist. accedit Polit. c. 14. aliterans, esse naturā ipsā se servitutē iuuenis ad senē. diuus Aug. super Genesim, est etiā inquit ordo naturalis in hominib; vt seruiant foeminae viris, & filii parentibus, quia & illic hęc iustitia est, vt infirmior ratio seruiat fortiori. Hęc igitur in dominationibus, & servitutib; clara iustitia est, vt qui excellit ratione, excellat dominatione. Cicer. 5. Paradoxo. proponit, prudentes esse liberos, stultos autem & insipientes servos esse. quod & diuus Ambros. probat super epistolā Pauli ad Colos. explicuit optime diuus Basilius de spiritu Sancto. c. 20. notant ex nostris Domi. & Præp. in d. c. ius gentium. n. 9. & ibi Card. à Turrecrem. art. 4. Imo. in proemio Gregor. col. 2. & Capol. de servit. 2. col. And. Tiraq. de legib; communib; l. 1. n. 48. Hac tamen servitus non est eiusdem conditionis cuius illa quæ iure gentium ratione belli inducta est, qui enim iure belli servus est, dominio alieno cōtra libertatem naturalem ita subiectus est, vt tanquā res qualibet quæ sua est à domino abalienari possit l. 4. §. 5. ff. de stat. homi. At servitus, quam diximus natura ipsa constitui, non pertinet ad coactionē, nec necessitatem, nec dominium: sed ad honorem & reuerentiā, seniorib; à iunioribus, generosis ab ignobilibus: parentibus à filiis: marito ab vxore debitā: vel ad utilitatē ipsius seruiantis, qualis est illa quæ imprudentis ad prudentē: minus sapientis ad sapientē dicitur. Quæ de re Io. Driedo. de lib. Christi lib. 1. pag. 8. in hunc modum scribit, secundum ordinē conditionis naturę omnes in Adam à Deo conditi sunt æqualiter liberi ab omni malo, ab omni servitutis incommodo. mansissent quoq; sub illo statu omnes homines pares secundū paritatē libertatis à culpa, & miseria: sed non pares secundū paritatē in talentis naturę, in perfectione iustitię, scientię, & prudentię. Siquidē alii magis, alii minus extitissent sapientes & prudentes: fuisset quoq; dominū quodā vnus super alios, nō pro suo ipsius cōmodo dominātis in illos tanquā in servos, nec vt prouidētis & consilētis illorū miseris, & imbecillitati: sed vt cōsulerentis & dirigētis illos ad ampliōrē sapientiā, disciplinā, iustitiā & prouidentia, atq; vrentis voluntariis obsequiis illorū obedientium non solum absque omnis laboris molestia, sed cum gaudio cordisq; letitia: quæ madmodum & iusti præsidēs nunc imperat,

nō cupiditate dominādī, sed officio cōsulendi: & hoc naturalis ordo præscribit. Sic quoq; Deus hominū genus cōdidit, vt essent alii in scientia & virtutib; superiores aliis: æqualiter liberi. Hactenus Dried. cuius verba referre libet, quia breuiter & cōpendio quodā retulit diu Thomę ceterā d. l. 1. respōsa par. 1. q. 96. art. 3. & 4. Sic & Arist. lib. 7. Polit. c. 14. sensim insinuat totā hęc seruitutē naturā ad vtilitatē pertinere eorū, qui minus prudentes sint vt à prudentiorib; regantur, & instruantur perfectiori prudentia. Alci. Th. in d. c. 2. q. 57. art. 53. ad 2. inquit, quod hunc hominē esse seruū absolute considerandū magis, quā aliū, nō habeat rationē naturalem, sed solū secundū aliquā utilitatē consequentē, inquantū vtile est huic quod regatur à sapientiori. Illi quoque hoc inuenitur, vt dicitur in l. Poli. & ideo seruitus pertinet ad ius gentium est naturalis secūdo modo: sed nō primo modo. Hactenus Thom. qui hanc seruitutē minus prudentis, ad sapientiorū, institutā esse tradit ad vtilitatē ipsius imprudentis, nō ad eius vilē subiectionē. & quauis ipse hanc seruitutē ad ius gentium referat, ex eodem tamen Tho. in d. q. 96. art. 3. & 4. satis palā constat, hanc seruitutem minus prudentis ad prudentiorē, minus sapientis ad sapientiorē, iuuenis ad senē, vxoris ad virum, filiorum ad patres, quæ ad honorem, & reuerentiā vel instructionem seruiantis pertinet, institutam esse à natura: & statui innocentię conueniēte. Quæ fit, eam minime pertinere ad vilē seruitutis conditionem, quæ postea iure gentium, stabilita est: cum eam subiectionē, & dominium contineat, vtile quidem ipsi dominanti, & molestum ac miserabile seruituti: igitur seruitus à natura ipsa ordinata, quæ & in ipso innocentię statu obtinetur, & obtinuit, non miscenda huic miserabili seruituti, quæ inter gentium ob bella, & captiuitates inducta fuit: quod & Card. à Turrecremat in d. c. artic. 4. explicat vnde plane intelligenda sunt & distinguenda quæ Plato in d. dialog. 3. de legib; voluit ex iure naturæ immiscere.

Illud hoc in tractatu prætermittendū nō est, quod Christiani capti in bello, etiā iustissimo, à Christianis, non est ciuitur serui captiuium. Et ideo nec opus est hoc in casu l. Cornel. nec Postliminiū fictione propter charitatē, quæ in Christo omnibus eius religionem professis communis est: sicuti expressim adnotarunt Bar. in l. hostes. ff. de capt. Abb. in c. c. in 3. de iure iur. col. 4. & inibi Regidius à Bellamer. n. 20. Salic. l. ab hostib; col. 2. c. de captiuis. Io. de terra Rubea contra rebulles. n. 11. 3. art. 10. Regia. l. i. tit. 21. par. 4. sed apud nos capti bello seruitur, præstitaque pecuniā in redemptionis præmiū, quæ Græci ἀδύρον appellat, veniam recedendi impetrant facillime, sensere tamen Alci. in l. hostes. ff. de verb. sig. & Claudius Catinicula in §. item ea que host. inst. de rer. diuisi. prædictā communem sententiam inter Christianos obtinere, sicuti Bart. & qui eum sequuntur probarunt, ac secus esse in Chaitanis captis in bello à Sarracenis, vel Turcis, qui vere hostes sunt. Nā hi quidem Christiani dum ab hostibus capti detinentur, eius conditionis sunt, cuius iuxta ius ciuile capti ab hostib; Rōm. Reip. censebantur. & ideo opus esse fictionibus legis Cornelie & postliminiū: quod est maxime notandū. Nā & Ioannes de terra Rubea idem voluit, dū scribit, Sarracenos hostes esse & cū his bellū geri vere, vt olim Romani aduersus hostes gerebant. Ego sane video maximam esse differentiam causam inter bella Romanorū, & ea, quæ Christiani aduersus Infideles, qui nos vndiq; imperūt, gerimus. Quorū quidē infidelū aggressiones, non possunt aliqua ex parte esse licitæ: nec itidē defensionēs: cū prouincias Christiani nominis tyrannice, & perfide, ac crudeliter occupauerint. Quamobrē nisi aliud lege humana statutum in specie sit, opinor erga Christianos captos à Turcis, vel Sarracenis nō esse seruādas leges Romanorum, quæ de captiuis apud hostes loquuntur, nec esse necessarias fictiones legis Cornelie & postliminiū: quāuis in his quæ possent in fauorē cedere captiuorū, æquissimū sit, imo omni ex parte iustū, eadē leges seruari. Nec enim reip. Christiani cōuenit præter ipsam captiuitatis afflictionē, damnum aliud, aut detrimentū Christianis apud Sarracenos, aut Turcas, captiuis irrogari. Ex his etiā apud me dubia est, & falsa quidē opinio. Anchi. in hac regul. col. 1. 3. ver. quero. Aret. in l. qui à latronib; 3. col. ff. de test. ad alieuerant, Christiano apud Sarracenos captio non licere ab eis fugere, nisi cogatur ad infidelitatem. etenim ego censeo iuste posse captiuum Christianum infidelitatem fugere, licet non cogatur ad infidelitatem, cum tyrannice, &

persecutionem. Et licet Regia Partitarum lex admittere debeat iuris Cæsarei interpretationem de rebus, quæ ius habent postliminii, iuxta l. si quid bello. & leg. 2. ff. de capi. & fortassis non procedat in militibus habentibus publica stipendia ad defensionem prouincie, & prouincialium: tamen lege belli quæ probanda quidem erit, si qua est, poterit ea constitutio indistincte seruari absque vlla iuris Romani & ciuilis interpretatione. Quamobrèm in his controuersis definiendis oportet viros rei militaris peritos, qui que satis legis, & iura belli cognouerint, semper consulere: atque ita erit hic tractatus de reb. bello acquisitis in foro exteriori, & interiori expendendus. qua de re aliqua tractat præter alios Thomas Grammaticus in *discipulis Neapolitan. quest. 71.* Hæc quidem longius, possent ac diligentius maturiusque tractari: nos tamen vt tractatu de restitutione eorum, quæ inique quæ sita fuere seruiremus, hæc lectori breuiter exposuimus.

§. DVODECIMVS.

De consilii, auxilii, ac fauoris ad perpetrandum delictum, obligatione.

S V M M A R I A.

- 1 Consilium, vel auxilium quando ad restitutionem obliget in conscientia iudicio.
- 2 Causa sine qua non, qualiter intelligenda sit, qua ad restitutionis tractatum.
- 3 Pluribus simul committentibus factum, vel rapinam: an quilibet teneatur in solidum ad restitutionem.
- 4 Pluribus committentibus factum, si vnus eorum restituerit solidum, an ceteri teneantur hinc pro æqua portione satisficere.

Hactenus visum est, qua ratione teneatur quis ad restitutionem iure acceptionis iniquæ: cuius tamen acceptionis iniquæ causa solet non tantum tribui ipsi accipienti, sed & aliis, qui ei consilium, auxilium, vel fauorem dedere, vt inique acciperet rem alienam, damnumve alteri intulerit. de his opportune queritur, an teneantur ad restitutionem? sit igitur conclusio hac in re satis iuris, & rationibus probata. Tenetur t ad restitutionem non tantum is, qui inique accepit, damnumve alteri intulerit, sed & is qui consilio, ope, auxilio, vel receptatione dedit acceptionis causam efficientem, quæ ipsam iniustam acceptionem efficiat. Hanc sententiam eleganter tractat Diuus Thomas 2. 2. q. 52. articulo 7. quem Theologi passim sequuntur, præsertim Caietan. inibi. Floren. 2. par. tit. 2. c. 2. §. 4. Hadrian. in 4. sentent. tractat. de penitent. & restitutione. c. 2. dubitatur. Ioa Maior in 4. d. sim. 15. questio. 16. Syluest. in verb. restitutio. 3. §. 6. Ioa. à Medina de restit. quest. 7. & 8. & probatur ea ratione, quod qui causam damni dat, damnum dedisse videtur, cap. vlt. de iniur. c. suscepimus. & c. de cetero de homicid. l. nihil interest. ff. de sicar. vbi Bart. & Docto. quod alibi scriptissime pro iuris regula traditur. Sed & in specie huic conclusioni accedit communis iuris vtriusque doctrina, qua obseruatum passim est, consulentem ex consilio teneri ad eandem penam quam delinquens pati debet, si alicui non facturo consilium dederit, c. nuper. de sentent. excommuni. vbi gloss. text. in l. 1. §. per suadere. ff. de seruo corrupti. c. sicut dignum. §. qui vero. de homicid. & gloss. inibi. cui similis in §. ope. Instit. de obligat. que ex delict. nasc. quam dixit solennem esse lason. in §. actiones. num. 3. de action. tradunt Bart. in l. sape. ff. de verb. signific. Panorm. & ibi late Deci. in c. 1. de offic. delegat. idem Dec. in l. consilij. ff. de regu. iur. Francus in reg. nullus. de reg. iur. in 6. Felin. in d. §. qui vero pulcher tex. in l. non solum. §. si mandato. verbo, Atul. cum. ff. de iniur. Igitur si quis alioqui non facturo consulat, vel iniquam rei alienæ acceptionem, vel dationem damni, ad restitutionem tenebitur. Qua in re quo ad restitutionem potissimum est obseruandum, an consilium mouerit, vel induxerit alterum ad delictum. [Et hæc quidem atque alia nos tradidimus in clem. si furiosus. 2. part. §. 2.]

Hoc item probatur ex alia iuris Pontif. & Cæsarei interpretatione traditione: quæ dicitur, tantem auxilium vel opem delicto & delinquenti, puniendum fore eadem penam, qua ipse delinquens, quando ope vel auxilio causam dedit homicidio propinquam, & cooperatus est in delicto. quod consilij ex l. vnica. C. de rapto virgin. & in c. felix. vbi gloss. in verb. simplici fauore de penis in 6. text. in l. item Mela. §. si alius. ff. ad legem Aquiliam. l. 1. tit. 8. part. 7. gloss. in l. nihil interest. ff. de sicar. text. in d. cap. sicut dignum. §. qui vero. & §. illi etiam. vbi Fel. & Socin. conf. 188. vol. 1. col. 4. Abb. & Dec. in d. c. 1. de offic. deleg. Hippol. in l. si in rixa. ff. de sicar. in 34. Salyc. in d. l. vnica. fol. vlti. tradit Paris. in conf. 152. & 154. numero. 20. libr. quarto. Nec temere in hac conclusione

causam efficientem requiro ad restitutionem. consilij licet quod moueat, vel auxilium quod cooperetur inique acceptioni, sed vt effugerem Paludani sententiam, qui in sent. dist. 15. q. 11. col. 4. eximitat, fore necessariam ad restitutionem obligationem, t causam, sine qua non contingeret acceptioni iniquæ: quasi velit non esse restitutioni obnoxiam dante causam cõtingeret omnino. cui & quidã ali accipere, quos tamen huius opinionis auctores minime nominauerim, quippe qui videam eos. D. Thomæ resolutione probare, quæ recte, & sincere intellecta nequaquam iuras Paludani sententiam: sicuti eruditissime ostendit Caietan. in art. 7. & constat apertissime: nam si quis damnum alteri dedit. tenetur dubio procul ad restitutionem & reparacionem damni dati, etiam si eo non dante damnum illud nihilominus, alii dedissent. quod Caieta. expressim probat idemque sensere Thomas & alii paulo ante nominatum citat. Quid enim refert, quod me non occiderit Titium, alteri ret eum occisurus, si ipse eum non occiderim? profecto parum. siquidem alter, qui Titium foret occisurus, si illud occidisset, puniendus esset: atque ita ego eodem modo puniendus ero: atque ita video hanc nostram sententiam probam à Domin. Sot. lib. 4. de iust. & iur. q. 7. art. 3.

Hinc patet, quo sensu sit accipienda in hac questione causa sine qua non contingeret acceptioni iniquæ: etenim est intelligenda quando causa mouet ad agendum actum, & in eo quidem agit ita, vt ipsa sola sit causa actus nullo alio cedente. vnde consulens rapinam alias non rapturo teneatur quidem in solidum, etiam si eo non consulente, non do essent, qui idem ei consuluissent, ac tandem rapina contingeret: cum satis sit, eam rapinam contingisse causa consilij dati: quæ causa mouit ad rapinam, & sic egit in eo rapina actu, vt sufficiens causa rapinæ per cooperationem.

Secundo ex his erit adnotandũ, quod plures dantes causam damno, aut exceptioni iniquæ: quæ simul concurrunt in ea causa, tenentur in solidum: etiam si vno eorum deliciente, nihilominus damnum datum fuisset. Nec enim magis potest dici vnus eorum causa damni, quam alter: etique huius illationis exemplum in pluribus simul consulentibus rapinam alioqui non rapturo, quorum quilibet consilio mouisset raptorem ad delictum rapinæ, quod quotidie perit euenire in plerisque etiam ciuilibus negotijs.

Tertio constat, pluribus concurrentibus simul in actione damni vni eorum consilio, teneri quemlibet in solidum: licet vno eorum non tenente, nihilominus damnum datum fuisset. Quod in pluribus militibus contingit, quorum quilibet teneatur in solidum ad restitutionem eorum, qui in bello inuito capta fuerint, etiam si vno eorum non eunte in prælium, foret per alios damnum illatum, ita sane Caiet. explicat. idemque Hadri. & Medina verum esse censent, quibus suffragatur gloss. in l. si in rixa. ff. de sicar. ad finem.

Illud tamen prætermittendum non est, quod si res ipsa furto, rapinaue ablata, t ad eius restitutionem ex pluribus, tenetur quilibet in solidum, si penes vnum, ille tenebitur in solidum in foro conscientie & iudiciali: non tantum ratione iniquæ acceptionis: sed & ratione rei alienæ per eum possessæ. l. si plures. ff. de vi & vi arma. l. 3. §. hanc commod. notat Barto. Communiter receptus in l. 4. §. Cetero. ff. de verb. oblig. Et tamen in hac specie in vtroque foro quilibet sociorum in solidum tenebitur rem furto, aut rapina occupatam restituere, lib. vulgaris. §. duo. ff. de furis. & expressim quo ad forum, & animæ iudicium, hoc ipsum responderunt Hadrian. in d. c. 2. §. idem dubitatur. Floren. in d. §. quartus & 2. par. tit. 1. c. 12. §. 12. Maior in d. quest. 26. & Ioan. à Medina q. 8. de restit. quorum opinio communis est secundum Syluest. in verb. restitutio. 3. q. 6. vno tamen horum restituente in solidum, ceteri ad restitutionem faciendam damnum passio liberantur: auctore Thom. 2. 2. q. 62. artic. 7. quod & in foro iudiciali adeo certum est, vt nulla indigeat probatione. Quod si vnus ex pluribus ad damni restitutionem in solidum obligatus t restituerit rem integram, & an ceteri eidem teneantur satisficere? & si quid restituit, rem ipsam ablatam in solidum acceperit, nihil tenentur socii criminis eidem reddere. Si vero ad alium ex sociis res ipsa in solidum peruenit, tenebitur omnino restituente reddere totum quod restituit. At restituitur pro portione damni dati sibi competenti ad restitutionem faciendam ipsi, qui iam restituit, etiam si ad eos nihil pertinet.